



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 94. S. Antonini Archiepiscopi Florentini obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ei nihil ad regnum, nisi nomen, & dignitas deesset: Hujus etiam Viri consiliis magna pars urbium, ac Principum Italiae utebatur; nihil enim illius notitiam effugisse credebatur, cum ipsi ex orbe vix non universo mercatores, quæ ubique fierent, crebris epistolis indicarent.

Sæcul. XV.
A. C. 1459.

Comment.
Pii II. lib. 2.

§. XCIV.

S. Antonini Archiepiscopi Florentini Obitus.

Cum Florentiæ Pontifex ageret, Sanctus Antoninus hujus urbis Archiepiscopus die secunda mensis Maii, quæ erat feria quarta, in Vigilia Domini ad coelos ascendentis anno ætatis suæ circiter septuagesimo obiit. Hic Florentiæ post Christum natum millesimo trecentesimo octogesimo nono primam lucem aspexit. Patrem habuit Nicolaum Pierrozum publicum urbis Syndicum, Matrem vero nomine Thomasiam. Horum Parentum cura pie educatus, S. Dominici institutum profitebatur, ac postmodum omnibus ordinis sui muniis, atque dignitatibus functus, demum a Cosmo de Medicis summo honore, ac uberrimis benevolentiae signis liberaliter auctus est. Eundem etiam Florentinorum Republica pluribus decoravit Legationibus ad summos Pontifices Nicolaum V. Callistum

Vicent. Martignard in vit.
S. Anton.

Trithem. &
Bellarmin.
de Script.
eccles.

Sæcul. XV. stum III. & Pium II. Eminuit scientia
 A. C. 1459. Juris tam Canonici, quam Civilis, nec-
 non in Historiis Ecclesiæ longe versatissimus, tandem ab Eugenio IV. ad Florentinæ Ecclesiæ Archiepiscopalem Sedem Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, defuncto Zabarella Patavino, Prædecessore suo vocatus est. (*)

§. XCV.

Papa exequiis præfens.

Pius II. Archiepiscopum in vita, ob præclara ejus merita plurimi habuit, eumque ac plures alios ad emendandos Ecclesiasticorum, & Laicorum mores incitavit, defuncti quoque exequias præsentia sua honorare dignatus est. Sancti hujus corpus ex Ecclesia Cathedrali ad Conventum FF. Prædicatorum deferebatur, ubi sepulchri locum sibi selegerat; Illius Sanctitatem Deus brevi plurimis miraculis per merita sancti hujus Archiepiscopi perpetratis testatam fecit.

§. XCVI.

S. Antonini Opera.

Dupin. Bibl.
 Script. tom.
 12. p. 95.

Nonnullas lucubrationes posteritati reliquit, inter quas tamen palmam obti-

(*) Hujus Sancti Viri inaugurationem vide lib. CLX, §. 127. & 128. p. 143.